SIMONIS PISTORII OPPOLIENSIS

Epigrammatum

OCTERNIO DECIMUSTERTIUS

Nobili & singulari eruditione Præstantißimo Viro, Dn. PETRO MORSKOVIO,

donatus.

Ad Lectorem.

Vt non sit doctum, non sit quoque fortè politum,
Quod tibi nunc etiam Carmen, Amice, damus:
Attamen acceptu dignum, lectuq; videtur,
Res propter sacras, & pietate graves.

Nobili & doctrinâ excellenti Viro,

Dn. PETRO MORSKOVIO

Salutem.

DIV fui dubius, Nobilis & erudite D. MORSKOVI, utrum esset Octernio iste Epigrammatum meorum tibi offerendus, nec ne. Ex una enim parte deterrebat me tenuitas venæ meæ, utpote quæ verebatur subire censuram doctarum ac tersarum aurium tuarum: quibus nil nisi quòd esset elegans, nisi quòd esset excoctum & politum, committendum esse semper putavi. Ex altera autem parte addebat animum firma illa mea de singulari tuo in me amore persvasio, & ea quidem penè à pueritia tua à me concepta. Videbâre enim me eo semper, quanquam nullo merito meo, prosequi. Propterea fortasse, quòd putares, eum, qui tecum arcto ejusdem fidei vinculo copulatus sit, amandum, &, quod hîc etiam locum habet, existimare senem observandum esse. Vicit igitur hanc dubitationem persvasio ista; quam ut semper foveas, & ad extremũ usque conserves in me, hoc te etiam atq; etiam, mi MORSKOVI, rogo. Theologica autem ad te mitto; & quia tu Theologus es; & quia à me nihil nisi quod esset Theologicum proficisci debuit, utpote qui huic etiam studio ab ipsa ferè adolescentia deditus fuerim. Accipe igitur à me, eruditissime PETRE, hoc quicquid est carminis, benevolentiæ meæ erga te signum ac monumentum indelebile; Pistoriumq; tuum, quemadmodum antehac semper fecisti, diligere perge. Vale in Domino.

S. P.

TEmporis à studiis aliquid gravioribus aufer,
Ad metra pauca, tibi missa, legenda, PETRE:
Vilia sunt fateor, venam si respicis ipsam,
Materiam spectas si, PETRE, *digna legi.*
Nullos ecce jocos cernis, nulla esse prophana;
Seria & ex adytis cuncta profecta sacris.
His ego sæpè meos animos & recreo mentem,
Hîc socium fieri te volo, PETRE, *mihi.*
Perlege, & ipse tuum cumprimis, PETRE, *Simonem*
Dilige, qui semper flagrat amore tui.

De mysterio Salutis.

SEcum de nobis à multo tempore retrò
Antè, Deus fidei pollicitiq; tenax,
Quæ complexus erat de nostra mente Salute,
Temporibus statuit quæq; futura suis;
Hæc jam complevit postremo tempore secli,
Et certam placiti præstitit ille fidem.
Mundus adhuc nullus, cœli convexa fuêre
Nulla, sed antiquum tùm chaos illud erat;
Quandò Ille Unigenam, fœtâ de virgine factum
Numine, veracem constituitq; Ducem,
Cum spe mittendum Vitæ decreverat almæ,
Et summi, fruitur quo Deus ipse, boni.
Per quem mortales jam tùm delegerat, astra
Ad potiunda poli, non adeunda priùs.
Cujus lex simulachra rei monstrabat & umbras,
Verborum velo quæ cooperta fuit.
Unde pii in votis mage nil habuêre Prophetæ,
Accepti summo quiq; fuêre Deo,

Quàm destinatum quamprimùm cernere missum,
Illius auditis alloquioq; frui.
Verùm expectato frustrà, votisq; petito
Frustrà; exinde suum sic obiêre diem.
Aurea sunt autem, verè sunt aurea nostra
Secula, queîs nobis jam licet hisce frui.
Designata olim quæ sunt à tempore longo
Iam nunc eventu sunt manifesta suo.
En noster Servator adest, decretus ab ævo,
Cumq; illo nobis missa beata salus.
Ille fuit tantæ divinus Præco salutis,
Et confirmator illius ille fuit.
In sese nobis nunc exhibet ipsus eandem,
Rex immortalis factus in Axe sedet.
Inde brevi dandam nos expectamus eandem,
Qui stamus sanctas illius ante fores.
Pro destinato tanto tibi munere grates,
Proq; revelato, sint Pater alme, bono.

Ad CHRISTUM SERVATOREM nostrum.

MAxime Christe Dei Soboles, Homo dive Redemptor,
Qui nunc cuncta tuo cum Patre Regna tenes,
Aspice nos, miseram qui dura per omnia vitam
Ducimus, & votis annue, Christe, piis;
Pro vera, quam tu attuleras à Patre Salute,
Quâ nihil & Cœlum majus & orbis habet.
Ante tuum Numen proni prosternimur omnes,
Solventes grates pectore & ore tibi.
Ipse revelasti tantam tu Præco salutem,
Illa operâ nobis est patefacta tuâ.

Ipse ratam nobis fecisti morte salutem,
Et quâ nunc polles omnipotente manu.
Ipse repræsentas istam, monstrasq; salutem,
Delatus summi Patris ad ora tui.
Ipse etiam gestas istam, curasq; salutem,
Expectâre isthinc Ipse daturus eam.
Christe, adipiscendæ caussâ, utendæq; salutis
Istius, adjuta Numine (namq; potes.)
Vt tibi fidamus, veræ & Pietatis amantes
Frangamus scelerum fortiter omne jugum.
Ac quum totius tu veneris arbiter orbis,
Præmia pro meritis cuiq; dature suis,
Omni sublato, quod fecimus antè, reatu,
Nos Patris Gnatos effice, Christe, tui.
Donec & ad Patris nos cælica provebis Astra,
Da gustu Cœli, læticiaq; frui.

Verè beatus quis.

O Toties, quoties non est numerare, beatum?
Quem verus sancti Numinis urit amor.
Cui præcepta Dei sunt jucundissima factu.
Qui fugienda fugit, qui facienda facit.
Ille timore procul vivens, curisq; remotus,
Impigra compartis ocia rebus agit.
Hunc seu ducentem vitam, seu funere functum,
Protegit immensi provida cura Dei.
Sint in cimmeriis alii, vivantq; tenebris,
Omnigenâ cassi cognitione Dei.
Huic sacræ semper Legis lux suppetet alma,
Plenus erit verâ cognitione Dei.

Sive illum casus, sive ulla pericla manebunt,
Cœlesti Genio præside, liber erit.
Adde, quòd is benefactorum sibi conscius ipse,
Summa voluptatum gaudia corde gerit;
Ejus & ipsa Salus optata, & quicquid ad illam
Pertinet, in dextra est præsidioq; Dei;
Illius & tristem dulci solamine mentem
Mulcet, & immisso Numine corda beat.
Imprimis si quid patitur pro nomine Christi,
Pectora vexati consolidare solet.
Nec minus in morbo, medioq; in limine mortis,
Spe vitæ illius corda perennis alit.
Et solvens illum placido, leniq; sopore,
Caram animam in proprias suscipit ille manus.
Post obitus autem, supremaq; funera vitæ,
Ipsius sese nuncupat esse Deum.
Deniq; cum postrema dies illuxerit orbi,
Hunc simul in Regnum transferet ille suum.
Sunt ubi delitiæ, sunt talia gaudia, semper
Qualia divinis sunt obeunda viris.
Qualia non oculo percepta, nec aure, cuiq;,
Nec fingi tacitâ qualia mente queunt.
Hæredes summiq; Dei, Patrisq; futuri,
Atq; cohæredes, maxime Christe, tui.
Si qua fides vero, digni solioq;, Deiq;
Dextrâ, in qua residet Filius ipse Dei.

Baptista salit in utero Matris ad adventum
Mariæ. Ibid.

Congressæ pariter Matronaq;, sanctaq; Virgo,
De magnis, tactæ numine, rebus agunt.

Dumq; hæc interea fiunt, res mira, Ioannes
In Matris lætus pusio ventre salit.

CHRISTUS natus ex Virgine. Luc. 2.

NVllos passa thoros, expers Virguncula labis,
Fæta Deo, Natum concipit (ecce) Dei.
Ridicula hæc res Philosophis fortassè videtur,
Sed caussa est cur nos credere facta juvet,
Qui nos immundos debebat ducere ad astra
Non aliter nasci debuit iste Puer.

CHRISTI oblatio. Ibidem.

S*isteris ante Deum pro consuetudine Legis*
Primum virginei Parvule ventris onus.
Vt Primogenitum te Christe fuisse probares,
Sangvine nos cujus turba redempta sumus,
Majestas certè cessit tibi Regia soli,
Atq; Sacerdoti nobile cessit opus.
Vt Reges & nos faceres, pie Christe, perennes,
Atq; Sacerdotes, Protogonosq; Patris.
Felix ergò tuum supplex qui Numen adorat;
Felix sermones qui bibit aure tuos.

CHRISTUS victima.

P*Ro nobis Natum in mortem Pater obtulit ipsum,*
Tantus amor nostri, tanta cupido fuit?
Pro pravis purum, pro fœdis crimine justum,
Et cujus fuerat nullus in ore dolus.
Quiq; futurus erat Dominus super omnia certò,
Et Rex, immò Deus quiq; futurus erat,
Cæditur en alapis, à milite lusus iniquo,
Indignè sanctam despuitur faciem.

Vulnificis loris ad sangvinis usq; feritur
Flumen, ut agnosci vix potuißet homo.
Tempora spinosâ redimitus fœda coronâ
Ad mortem ligni pondere preßus abit.
Affixusq; cruci, scelerati more latronis,
Rursus vesanis lusibus excipitur.
Deniq; defunctus longâ configitur hastâ,
Ex quo profluxit sangvis & unda simul.
Tantos pro nobis ita pertulit ille dolores,
His nos sanavit vulneribusq; suis.
Editus à terra secum sic omnia traxit;
Sic homines Astris intulit ille suis,

Deum in Christo cognosci Ioh. 14.

V*Irtutemq; Dei, majestatemq; verendam,*
Lumine si fidei cura videre tibi est;
Virtutem Christi, majestatemq; potentem
Respice, qui veri splendor, imago Dei est.
Nemo aliter videt hunc: & Christum præter & extra
Agnosci meliùs non valet ille Deus.

In Avarum.

A*Vri sacra fames quando satiabere? tandem*
Quem tibi constitues dira libido modum?
Sicne animus crescit, quantum ipsa pecunia crescit?
Nec nisi finitâ morte tepescet amor?
Iam sat habes, & tot tibi jam tantiq; supersunt,
Vt capiat numos nec gravis arca tuos.
Nec das quicquam aliis, Vir stulte, nec uteris illis,
Nec miseris ullam fers miseratus opem;
Nec minimum ex illis fidis concredis amicis;
Hinc quoq; decerpit Patria cara nihil.

In sacros etiam nihil unquam impendis honores,
Nil sperare à te vel Deus ipse potest.
Vt brevibus dicam, proprios nec tradis in usus
Paucula; si dandum est ringeris absq; modo.
Plura tamen quæris, captas & plurima semper,
Dummodò spes lucri fulserit ulla tui.
Sic alii sat habent, contenti rebus, & ipsa
Sorte; sat infelix nullus avarus habet.

AD PETRUM MORSCOVIUM.

CVm jam parva, ferè vel spes tibi nulla fuißet
Augendæ prolis, PETRI *polite, tuæ,*
Ex quo ducta tibi est, quinquennis Olympias ibat
Altera, fœta parit cùm tibi Nupta marem,
PETRE,*parit tibi Nupta marem; pòst illa secundum*
Nupta parit; sed adest tertius ecce tibi.
Quis te tot Natis auctum iri, PETRE, *putaßet?*
Iam desperanti cum satis unus erat.
Res hæc spem præter tibi quo magis evenit, hoc sit
Prosperior longè, candide PETRE, *tibi*
Servet quæso Deus matri sua vota, Patriq;,
Aßensu faciat semper & eße rata.
Artibus imbuti, Majorum exempla sequentes,
Vt summi ad laudes sint, superentq; Dei.

Petri Apostoli restitutio. Ioh. 21.

QVid PETRE *miraris, verum ut fateâre, quod ex te*
Tergeminâ Christus voce requirat idem?
Par est,ut,quoniam ter Christum, Petre, negasti,
Tu quoq; in antiquum ter revocêre statum.
Tùm, nisi quis Christi vero teneatur amore,
Non Pastor bonus est, ille, nec ædificat.

Christe, tui vero caleam quoq; semper amore,
Vt fiam verus Pastor, & ædificem?

PAULUS compellatus de Cœlo. Act. 9.

C*Ontemptor Christi, violentâ turbidus irâ,*
Sanctorum oppreßor, Paulus, & hostis atrox,
Quomodo fit supplex, cœlesti voce repreßus,
Quomodo dat victas voce tremente manus?
Non sic contremuit quercus cava fulmine tacta,
Nec balans viso sic pavet agna lupo;
Vt decußus equo tremuit formidine Paulus,
Nil sanæ in toto pectore mentis habens.
Discite cum Christo quid sit pugnare rebelles;
Solo vos nutu proterit ille suo.

Precatio pro omnibus hominibus. 2. Timot. 1.

M*Agne Deus, Cœli, rerumq; , hominumq; Creator,*
Qui regis arbitrio condita cuncta tuo,
Imprimis autem mortales respicis ægros,
Prospectum meliùs tu quibus eße cupis,
Pro totâ grates hominum tibi Gente sonamus,
Quam nunc hic usquam maximus Orbis habet.
Et pro tot, tantisq; bonis, quibus afficis omnes,
Quottidiè antiquis accumulando nova.
Tu super Ingratos nitidos Phœbi exeris ortus,
Exhilarans hominum lumine corda tuo.
Tu super Injustos mittis de nubibus imbrem,
Dilectas segetes, arvaq; sicca rigans.
Tanta tua est bonitas, nobis tuus omnia dandi,
Vt mens nulla queat noscere, tantus amor.
Dùm peccant homines, toties si fulmina mittas
O Deus! exiguo tempore Mundus erit.

Sed tibi præcipuè pro Regibus atq; Dynastis
Ingentes grates solvimus alme Deus.
Imperii clavo quos præficis, arbiter Orbis,
Terrarum Dominos & facis eße Deos.
Pectora magnanimus, prudens, & dexter & æquus
Imbuat illorum Spiritus ille tuus.
Pacis amor, studiumq; boni, quod postulat usus
Publicus istorum mentibus insideat.
Omnia vastantis belli valeamus honestam
Vt vacui vitam degere & absq; metu.
Vtq; Deo (quæ res prima est) servire quieto
Corde queat, puram turba profeßa fidem.
Adde quòd hæc ideò propensio talis in omnes
Hic quoq; nostra suum debet habere locum.
Nempè tuo desiderio morem eße gerendum,
Qui propriæ sancto laudis amore tuæ
Omnes amplecti veram vis ipse salutem,
Visq; frui cunctos cognitione tui.
Tempora præteritæ tenebrarum ætatis amanter
Tu condonasti, pro bonitate tua.
Nil magis in votis tibi nunc, quàm sancta voluntas
Vt nosci à cunctis poßit ubiq; viris.
Vnus cunctorum es tu namq; creator & author,
In quos ex æquo jus tibi semper idem.
Vnus cunctorum est Christus Mediator, & idem
Pro cunctis subiit funera dira necis.
Qui virtute Dei redivivus, ad Astraq; sumptus,
Imperii exercet cum Patre fræna suo.
Et sic non vanus divinæ Præco salutis
Promißam cunctis comprobat ipse fidem.

Cohortatio ad laudandum Christum.

Huc ô cultores veræ Pietatis adeste,
A Duce quos Christo nomen habere juvat.
Huc mentes, huc & sensus convertite vestros,
Conferte huc voces, eloquiiq; decus.
Vt vestrum toto Dominum celebretis in Orbe,
Cantetisq; alto digna pæana Deo.
Ille suâ nos voce vagos collegit in unum,
Ille suum ex multis fecit ovile sibi.
Ille suâ à cunctis vitiis nos morte redemit;
Nos sectatores fecit & ille boni.
Perpetuò nostræ curam gerit ille salutis,
Et media illius comparat ille vigil.
Ille sacram nobis demittit cœlitùs auram,
Quâ nostram firmat, corroboratq; fidem.
Ille suis Geniis ad nostros utitur usus,
Per quos securos præstat ubiq; suos.
Ille animas nostras, quæ sunt divinitûs ortæ,
Curat, & in Regnum suscipit ille suum.
Deniq; tantæ Ille est fidei; non cessat amare
Semper eos, quos jam cœpit amare semel.
Huc ô Cultores veræ Pietatis adeste,
A Duce quos Christo nomen habere juvat.
Hunc tantum benefactorem cognoscite vestrum,
Hunc vestræ fidei vos redamate Ducem.
Illius ante thronum proni procumbite cuncti,
Ejus & ad sanctos oscula ferte pedes.
Si vobis curæ Pietas, simul este parati
Pro tanto illius semper amore mori.

Ad PETRUM MORSCOVIUM.

QVi poteras Regum magnas volitare per aulas,
Aut poteras juris duplicis eße sciens,
PETRE, *sacræ mavis tractare volumina Legis,*
Et mavis summi discere jura Dei.
O prospexisti tibi quàm bene, PETRE! *decenter*
Quàm providisti rebus, Amice, tuis!
Cœlica terrenis præfers, & sacra prophanis,
Vera tibi vanis sunt potiora bonis.
Ne te, ne pudeat Præconis munere fungi;
Quod decuit Christum cur tibi turpe putes?
Ex Præcone Dei Rex immortalis ut Ille
Evasit, summo proximus estq́; Deo:
Sic te, PETRE, *Dei manet immortale brabeum,*
Et non postremo gloria digna loco.

Adhortatio ad laudandum Christum.

LAudibus æternis Christum celebrate benignum,
Pro tanto quo nos semper amore fovet.
Laudibus immensis Christum celebrate faventem,
Pro tanto quo nos ipse favore colit.
Laudibus egregiis Christum celebrate potentem,
Proq́; ejus gestis, proq́; potente manu.
Vocibus intensis Christum celebrate benignum,
Illum compositis concelebrate metris
Cordibus integris Christum celebrate faventem,
Illum pectoribus concelebrate piis.
Egregiis factis Christum celebrate potentem,
Et factis illum concelebrate bonis.
Vos immortales animæ, quas continet æther,
Omnibus hunc Christum concelebrate modis.

Vos quoq; mortales animæ, quas continet Orbis,
Cunctis præcipuè concelebrate modis.

Ad CHRISTUM de certitudine prædictionum ejus.

O Christe, os Patris, quàm sunt verissima cuncta
Dicta tua, & quàm nil fraudis in ore tuo!
Eventum quædam jam sunt sortita, futura
Quæ prædixisti præscius antè suum.
Ecquis de reliquis dubitet, fore quæ simul olim
Præcinuit sanctus spiritus ille tuus?
Certa tui adventus nobis documenta dedisti,
Vnde illum scimus non procul esse diem:
Quam tu voce tuâ docuisti, mira patrando,
Quamq; obsignasti deniq; morte tuâ,
A tàm Doctrina sancta Defectio, vera
Vt vix cognosci possit in Orbe fides.
Maxima Regnorum Collisio, Martius horror,
Armorum strepitus, motus ubiq; Virûm.
Tùm sectatorum Vexatio sæva tuorum,
A fidei cunctis hostibus, atq; suis.
Hujus fama rei longo jam tempore sanctos
Terruit, à multis est quoq; visa piis.
Quid visam dico? (cùm sit sors ista tuorum)
Nunc etiam plures experiuntur idem.
Tu nos præmonitos voluisti voce benignâ,
(Vt qui sis nostræ, Christe, salutis amans)
Ne vel tùm pavidè, vel quid faceremus ineptè,
Cujus nos etiam fortè pudere queat.
Spernimur à cunctis, sumus ad majora parati,
Si nos fortè voles asperiora pati.

Adde fidem vero, tu qui potes omnia, Christe,
Et vires & opem, quæsumus, adde tuam.
Afflato nostris occultos sensibus ignes,
Possimus rutilos queîs superare rogos.
Atq; ita de sævo ducentes hoste triumphum
Cum palma ante tuum posteà stare thronum.
Et quia spem nobis fecisti rursus in Orbe
Te promoturum Relligionis opus,
Restauranda iterum Doctrinæ dogmata veræ,
Illum supremi temporis ante diem.
Ergo supplicibus votis tibi Christe litamus,
Hoc etiam præstes, nam potes, absq; mora.
Hoc Evangelium in totum velociùs Orbem
Exeat, atq; adeat vix adeunda loca.
Vt prolem Iudæ, & Gentes, & Turcica Regna,
Et quotquot vastus barbara Mundus habet,
Convertat, sacroq; suo de lumine cunctos
Imbuat, in vera cognitione Dei.
Vt noster veluti tu Pastor es unicus usque,
Vnum sit totus Mundus ovile tuum.

Gratiarum actio CHRISTO pro pace præstita.

QVicquid erit tandem, frangatur & Orbis & Æther,
In chaos antiquum deniq; cuncta ruant.
Sollicitum depone metum, Gens dedita cœlo,
Cui toto mens est corde placere Deo.
In superis Regnat Christus, fortissimus heros,
Quicquid ubi est rerum, cui Deus omne dedit.
Ille sui curam populi gerit, Ille potenter
Impendens nobis amovet omne malum.

Vndiq; terrificus jam Mars stridentibus armis,
Velle videbatur sternere cuncta solo.
Velle videbatur res fundo tollere nostras,
Immò de medio tollere velle pios.
Sceptrigeros Reges vidisses castra locare
Maxima, & innumeros cogere ad arma Viros.
Pendens promissis anceps, suspensa manebat
Vnanimi Christum pectore turba colens.
Eventumq; rei expectans, ad cuncta parata,
Assiduâ Domini voce vocabat opem.
Ecce autem qui cuncta Virûm tenet agmina Christus,
Inq; manu Regum pectora solus habet,
Arcuit à nobis Inimicos protinus omnes,
Sedavitq; potens arma, Virosq; citò.
Ne trepidate boni, mare corruat, Orbis & Orcus,
Vobiscum semper Rex Zebaothus erit.
Huc, ô huc Christum quicunq; ardetis adeste,
Tantaq; tàm magni facta videte Dei.
Mavortis tantos post armorumq; tumultus,
Omnibus est nobis reddita summa quies.
Omnia sunt pacata, in finibus omnia tuta,
Hostis abest, pariter sunt quoq; tuta domi.
Hujus adorandi tàm sancti Numinis ergò
Illius in sanctam nos decet ire domum.

Ad alteram vitam.

O Quam te memorem! laudum præconia dicam
Quæ tibi? delitium vita futura meum.
Vt tu Vita meæ verè es vita altera vitæ?
Quæ facis ut vita hæc sit quoq; vita mihi.

Expers principii vita altera, neſcia finis,
Æterna æterno vita coæva Deo.
Vita electa Deo, toto gratiſſima Cœlo,
Sive bonis Geniis mellea, ſive, malis.
Tot fulcita Dei documentis vita perennis,
Facta tui ut nobis non dubitata fides.
Vita beata iſtis nullis obnoxia rebus,
Hæc quibus infelix undiq; vita ſcatet.
Non dolor eſt in te, non eſt labor improbus ullus,
Non metus, ullius parva vel umbra mali.
Infinita ſalus, quies, & ſecura voluptas,
Deniq; ,quod mea mens non capit,omne bonum es.
Tu vita in temet complectere proſpera cuncta,
Solaq́; fons ſummi vita beata boni es.
Cives ſunt animæ rutilæ, menteſq́; ſerenæ,
Vita tui, quorum eſt haut numeranda cohors.
Hi ſacrati Agni veſtigia ponè ſequuntur
Ad bona ducentis, delitiaſq́; novas.
Hi ſua reſtinguunt felici nectaris ora
Flumine, de media ſede fluente Dei.
O dux vitæ illò deduc me tramite recto
Chriſte, & ſiſte Dei Patris ad ora tui.

CHRISTUS eſt omnia.

Esse, quis hoc fieri putet, unus ut omnia poßet?
Hæc unus potuit Chriſtus in Orbe tamen.
Eſt Chriſtus Patris Soboles viventis in ævum;
Idem Vitai eſt & Pater alterius.
Eſt Chriſtus Iudex hominum, Patronus & idem,
Eſt ovium Paſtor Chriſtus, & ipſa bidens.

Hostia Christus & est, est Christus & ipse Sacerdos,
Ianua Christus & est, est & ovile simul.
Deniq; Christus & est servus, fidusq; Minister,
Est pariter Populi Rexq; Deusq; sui.

Cum Christo omnia.

CVm Patre unanimis qui possidet omnia Christus,
Credenti secum cuncta dat ille suo.
Felix qui didicit tàm magno fidere Christo,
Et meruit tantum pectore ferre Deum!
Magnus & ipsus erit, donis & clarus opimis,
Huic Mundus cedit totus, & ipse polus.
At vacuus fidei Christi, pauperrimus omnis;
Omnia ut ille habeat, nil habet ille tamen.
Clarus ut esse queam, divesq; per omnia, Christe,
Da mihi te, rerum cetera curo nihil.

Non signa, sed fides.

SIgna petant alii, faciantvè ingentia, Christi
Quæ patrare & nunc credulus ipse queat.
Motum etiam duris vel montibus imperet, illos
In freta cærulei dejiciendo maris.
Ista alii curent, mihi sat sit credere; Christe
Te Servatorem scilicet esse meum.
Quòd cœlo veniens, moriens, & morte resurgens,
Solo flagranti motus amore mei,
Indignum peccatorem me, mancipiumq;
Morte redemisti perpete, Christe, tuum,
Credere promissis Christi, quòd turpe cadaver,
Quod jam putruerat, surgere possit humo,
Surgere possit humo, vivens Cœloq; reponi,
Vt nova cum Superis gaudia semper agat.

Dic mihi, quid mirum magis eſt? quod majus in orbe
Eſſe poteſt ſignum? major & eſſe fides?

Qui Chriſti propinqui.

SI *tua Mater is eſt, ut ais, dulciſſime Chriſte,*
Si frater carus, ſi tua blanda ſoror,
Qui præſcripta Dei ſequitur, tibi quiq; jubenti
Paret, adhærendo ſpeq; fideq; tibi.
Nos quoq;, Chriſte, tuum ad præſcriptum vivere ſanctũ
Imus, adhærentes ſpeq; fideq; tibi.
Tu modò nos viles famulos ne deſere, Chriſte,
Sed ſemper vires, quæſumus, adde tuas.
Digni ut tam dulci conſangvinitate, ſimulq;
Tecum cœleſtes ſimus adire domos.

In ſolo CHRISTO ſalus.

IN *quo divinæ maneat ſpes certa ſalutis,*
Et quod nos aſtris aſſeruiſſe queat,
A Patre haut aliud gemino ſub fornice cœli,
Dive, tuo nobis nomine, Chriſte datum eſt.
Hoc nomen certè eſt illud, de quo æthere rupto
Ipſe Pater tales edidit ore ſonos:
Filius hic meus eſt, Ieſus, mea maxima cura,
Me cujus ſemper maximus ardor edit.
Huic ego vos omnes Doctori trado regendos
Huic vos mortales ſubdere colla volo.
Quin igitur, Munde infelix, hoc nomen adoras?
Illius & ſubdis quin tua colla jugo?
Hoc duce quo ſtygiam valeas evadere peſtem,
Scandere & ad ſuperas, regna beata, domos.

Officia miſſi S. S.

ET *Patris & Fili ſacra copula, miſſus ab Axe*
Spiritus, hoc trinum fortiter urſit opus:

Arguit Hebræos incredulitatis apertæ,
Quòd Christo meritam non habuêre fidem.
Ostenditq; Deum justè fecisse, quòd illis
Christum non visum sumsit in Astra poli.
Tùm Christum injustâ damnatum morte probavit,
Quâ tamen Infernum vicit, & Astra tenet.

Effecta ejusdem.

CVjus sacra animo divini illabitur aura
Numinis, hic omni jure beatus homo est.
Ignaros hæc namq; docet, mentesq; sacrarum
Illustrat rerum cognitione rudes.
Abluit illa hominum fœdas de pectore sordes,
Et pia jucundo corda fluore rigat.
Illa suo pectus succendit & igne gelatum,
Vt vero summi flagret amore Dei.
Illa pios animi sensus perfundit & implet,
Rore voluptatis, nectare & ambrosiâ.
Hæc mollit tristes internâ voce dolores,
Cùm fera pro Christo crux toleranda venit.
Vt brevibus dicam, in media jam funeris hora,
Hæc animam vitæ spe melioris alit.

AD MORSKOVIVM.

SCripta refutandis tua qui teris ocia Libris,
Ecquando nobis, PETRE, *legenda dabis?*
Tàm sanctis famam ne cessa extendere factis,
Dumq; fugax tempus, dumq; juventa sinunt.
Non idem vigor est animi, non semper acumen;
Nec quæ defluxit hora redire potest.
Cætera lethæo conduntur flumine gesta,
Quam tribuunt Libri fama perennis erit.

S(:)S